3

# SPECVLVM
## SIVE
# THEORIA
## DOCTRINÆ JESUITICÆ:
NEC NON
# THEATRVM
## SIVE
# PRAXIS
## JESUITARUM,

# AD EVROPAE PROCERES & STATVS.

---

Continetur, Lector benevole, hoc Opuſculo INDEX Scriptorum, quæ Sophiſticum aculeum Sectæ Jeſuiticæ retuderunt : & ejuſdem artes pernicioſas in vulgus propalarunt; ad dijudicandas hujus temporis turbas, earumq́; authores, valdè neceſſarius.

---

ANNO M. DC. VIII.

Universitäts Bibliothek München

Ad Bibl. Acad. Land.

# AD EVROPAE PROCERES & STATVS

## PRÆFATIO.

NON deerunt hauddubiè, Viri Proceres, ex veſtro ſplendidiſſimo Ordine, qui, dum hæc eis legenda offerentur, mirabuntur, cur nos, dum alii ſuis propriis Scriptis rem Chriſtianam illuſtrare ſatagunt, alienorum Operum nudum Indicem in publicum edamus, & ſic alienis quodammodo plumis nos ornare conemur. Notum itaq; omnibus eſſe percupimus, quatuor nos Inſtituti hujus præcipuas cauſſas habuiſſe.

I. Quarum Prima & potiſſima hæc erat, Quòd animadverteremus, magnum hodiè & ſolicitum vulgò deſiderium haberi eorum Scriptorum, quæ contra Jeſuitas ita directa ſunt, ut ipſorum præcipuè ſecretiora conſilia & clandeſtinas machinationes, per quas ad Inſtituti ſui proprium & peculiarem finem hactenus viſi ſunt tendere, detegant, Lectorique ſpectanda exhibeant. Cujus deſiderii nos hanc cauſſam eſſe opinamur, quòd conatuum & molitionum, quibus Factio iſta hucuſq; per univerſam ferè Europam fervidiſſimè incubuit, fructus & eventus hoc potiſſimùm tempore ubique locorum ſe per effecta illuſtriſſima in publicum prodant, & circa Statum præſertim Politicum manifeſtiſſimè deprehendantur: Quorum ea ratio eſt, ut rebus Chriſtianis inſignem aliquam mutationem brevi allatura videantur, quocunque tandem contentionis nixuſque acerrimi eventus evadat. Sic etenim Jeſuitæ jam vires, quas intra hos quinquaginta & ampliùs annos, nobis non animadvertentibus, ſibi compararunt, undiquaque contrahunt, tentant, & contra eos, quos ſibi adverſarios propoſuerunt, incitant, ut ſua importuna inſtigatione Suis tandem pugnandi, His verò ſui defendendi extremam ferè neceſſitatem

impoſituri videantur. Cui audaciæ tantò plus periculi ſubeſt, Quòd, ut jam dictum eſt, hæc eadem Natio in Politiæ æque, immò in hæc ferè magis; quàm in Eccleſiæ negotia ſe ubique ingerat, in quibus nempe ſuas quaſdam peculiares & præſenti rerum Europæarum diſpoſitioni parùm commodas deſignationes ſibi propoſitas habet, ad quas publicum ſtatum reformare & hac ratione hanc Mundi partem ad ſuum arbitrium refingere conatur: Quodque deinceps uſu jam compertum habeamus, Sectæ iſti occulto quodam Dei judicio hoc datum eſſe, ut & in circumveniendo Magiſtratu, & afficienda Republica, ſingulari quodam & hactenus nimiùm efficaci Genio utatur, à cujus vehementiſſima operatione prudentes præſenti confuſioni & perturbato rerum ſtatui non immeritò metuunt & peſſima quæque ominantur. Cùm itaque illorum fervor nihildum remittat, ſed jam eouſque proceſſerit, ut rem inclinatam paullò pòſt præcipitaturus videatur; omniumque oculis appareat, Turbinis, quem moliuntur, tempeſtatem vix quenquam evaſurum: Illi, quorum ab utraque parte quamplurimùm intereſt, quorumque res heîc propriè agitur, in hæc hominum novorum conſilia, eorumque audaces conatus non immeritò inquirunt, operamq; dant, ut priuſquam ad extrema deſcendant, noſſe queant, contra quos, quo jure ſe utrique defenſuri ſint, & pro quibus, quave de cauſſa pugnare, turbataque Republica ſe & liberos cum fortunis ſuis periculo exponere debeant: Cumque intelligant, ſe alterius partis Scriptis aut dictis in tanti momenti negotio non ſatis tutò fidere, aut conſcientiis ſufficienter conſulere poſſe; prudenter faciunt, quòd per contradicentium collationem rei veritatem explorare ſtudeant.

Conſtat autem, Jeſuitas hactenus hoc unicè operam dediſſe, ut Scripta illa, quibus artes ipſorum in publicum produntur, vel publicè aditu prohiberent, vel ſuos ſaltem ab eorum lectione, ſub pœna etiam Excommunicationis, prorſus abſterrerent, ut hactenus illa pauciſſimis innoteſcere potuerint; Cùm contrà ſuorum ſcripturitionem omnibus ubique obtrudant & ingerere conentur, ſicuti hocipſo

anno

anno Antverpiæ Catalogum ediderunt Sectæ ſuæ Illuſtrium, ſic eos vocant, Scriptorum, auctore P. Petro Ribadeneira: eo hauddubie fine, ne quid iſtorum occultum maneret. Etſi autem hocipſum omnibus cordatis ſufficienti indicio eſſe poſſet, & etiam deberet, eos juri ſuæ cauſſæ non ſatis fidere: Nos tamen huic etiam tam aſtutæ arti obviam ire, & Lectori concupiti ac pro temporum ratione perquamutilis Examinis illius liberam & ampliſſimam facultatem (quantum quidem à nobis præſtari poteſt) præbere voluimus: Propoſitis ceu in Tabella non illis ſolummodò Scriptis, quæ præſentium certaminum fervor excluſit, ſed illorum etiam Virorum Judiciis, ſeu potiùs Vatidicis Præſagiis, quibus tum, quando hæc Lojolana Pullities adhuc implumis in lupinis latitabat, aut intra Nidi ſtramenta ſe continebat, has ipſas turbas acutè providerunt, & poſteris ſapienter prædixerunt.

II. Huc ſecundo loco acceſſit ejuſdem Sectæ jactantia, qua in publico & coram aſſcripticiis ſuis hoc tempore gloriari conſueverunt, ſe omnium hoſtium ſuorum ora ita obturaſſe, adeoque conviciſſe, ut nemo ampliùs contra ipſos hiſcere auſit: ut Hæretici & eorum inſelices pulli, illi, inquam, maleſani Politici (hoc autem nomine Rabies illa eos indigetat, qui illorum periculoſas molitiones quocunque modo impediunt, & à Reip. jugulo avertere ſtudent) jam ad extrema redacti ſint, & deſperata conſilia tentare cogantur. Nam ſic apud ſuos videri volunt, Adverſarios, dum ſe ipſis opponunt, hoc magis ex deſperatione, quàm certa aliqua cauſſæ ſuæ fiducia facere, quòd nempe pudefieri nolint. Qua audacia Neronis illud celebratum Stratagema non infeliciter imitantur, qui cum aliquando per ſuos diſpoſitos veredarios de clade, quam exercitus ejus in Germania acceperant, certior factus eſſet, interceptis ſingulari cura omnibus Nuntiis, contrarium in Urbe rumorem ſpargi juſſit, Germanos nempe ſuis auſpiciis devictos eſſe: Quod mendacium ut confirmaret, cum Triumphali ornatu in publicum prodiens ſe Germanicum ſalutari curavit. Hanc ergo Neronianæ frontis revera jam invictam im-

pudentiam ut omnibus manifeſtam redderemus, hunc Scriptorum contra Jeſuitas Catalogum in vulgus emittere decrevimus, nihil omninò dubitantes, quin ii, qui ſeduci nolunt, ex mutua controvertentium collatione ſimulatæ iſtius fiduciæ vanitatem facilè ſint deprehenſuri.

III. Tertiò & illud nos non parum movit, quòd videmus, homines iſtos accuſationes graviſſimas, quibus nunc ubique locorum premuntur, ſub hoc fere prætextu velle eludere, quo videri volunt ab hæreticis, qui corio ſuo à Jeſuitis metuant, hæc ita fingi, ut apud Politicos ipſis odium conflent, & ſic imminens periculum à ſuis ipſorum cervicibus amoliantur. Etſi verò hæc facinorum graviſſimorum, quorum Generatio hæc non à ſuis malevolis aut illis ſtigmaticis Miniſtris, ut imperitis perſuadere conantur, ſed ab integris Nationibus & à ſummo locorum Magiſtratu rea peragitur, excuſatio nimis putida eſt; Ipſi tamen hanc etiam fraudis ſpeciem, neſcio quo noſtratis ſeculi ominoſo fato, practicis ſuis hactenus præcipuè commodam & proficuam experti ſunt, hocque ſmegmate plærorumque oculos ita obleverunt, ut proprio ſenſui ipſique rerum experientiæ fidem vix adhibeant. Hanc igitur nequitiam ut non tam verbis, quàm ipſo facto, redargueremus, in præſenti Catalogo oſtendimus: Non ipſos ſolummodò Hæreticos (quos Jeſuitarum ſacrum robur pro talibus haberi imperat) hanc recentis Monachiſmi Pulliciem, propter Sophiſticam impoſturam, quâ in doctrina fucanda utuntur, acriter inſectari adeoque odiſſe: Sed Catholicos etiam ſaniores eorundem molitiones & ſtudia ubique locorum ſuſpecta habere, eorumque panurgiam propter factiones & turbas, quas in utroque foro excitare conſueverunt, deteſtari: Quibus etiam ejuſdem Gentis avaritia jam ſatis perſpecta variorumque aucupiorum technæ & inaudita artificia, quibus non ſolùm privatorum bonis inſidiantur, ſed etiam Reipublicæ graves exiſtunt, vehementer improbantur. Hæ, inquam, Sectæ illius, hactenus quidem ſplendidiſſimæ, parùm licitæ artes faciunt, ut paſſim non ampliùs eo loco habeantur, quo eos antehac habitos eſſe conſtat, & quo inter nos

adhuc

adhuc haberi cupiunt. Quam exiſtimationis jacturam Jeſuitis etiam id peperiſſe exiſtimatur, quòd obliti Præceptorum Fundatoris ſui Ordinis, perfectionis ſuæ Regulam, & ſecretam diſciplinam, quam ille occultatam cupiebat, ſtatim poſt ejus obitum in vulgus propalarunt: hæc enim Regula cum in plerisq; capitibus hominem nimis evidenter redoleret, aſſumtæ & hactenus obtectæ larvæ preciũ apud vulgus valde imminuit. Deinde, quòd cum Adverſariis in publicum ſcriptionis certamen deſcenderunt, cum iis, inquam, qui ex Catholicorum numero Inſtitutum hoc, ut novum & multa ſingularia habens, inſectabantur. Nam & hoc eis Lojola iſte ſeverè interdixerat; ut qui tanquam verſutus Practicator proſpiciebat, hanc ſcriptionis ventilationem occulta Ordinis vitia publico potiùs conſpectui, & per conſequens etiam deſpectui expoſituram, quàm ut eundem confirmaret: Ideoque tutius fore judicabat, ſi ignarum vulgus in cœca illa novitatis admiratione quocunque modo retineretur. Nec ſanè hominis veteratoriam calliditatem eventus fefellit. Cujus rei indices & locupletiſſimos teſtes nos inter cætera illa etiam Scripta heîc producimus, quæ contra Jeſuiticæ Sectæ Inſtitutum in Galliis olim, & nunc etiam Venetiis aliqua, ab iis emiſſa ſunt, qui Romanam Religionem hactenus uſque ad ſanguinis effuſionem propugnarunt, quique Sectæ huic non tam de dogmatibus litem movent, quàm illorum artes utrique Chriſtianæ Reipublicæ ſtatui pernicioſas arguunt & inſectantur. In quo argumenti genere Gallica præcipuè excellunt, ut cui Nationi experientia hæc permagno conſtitit.

IIII. Tandem ſic judicabamus, è re Reipublica eſſe, ut ad ſingulorum uſum certum quoddam Corpus in publico extet illorum Scriptorum, in quibus præſentium temporum controverſiæ à præſtantibus ingeniis accuratè ventilantur. Quod de iis potiſſimùm intelligi volumus, quorum authores in hac palæſtra ita verſantur, ut rejectis Sophiſticæ & Calumniarum paleis, ipſum rerum nucleum Lectoris palato guſtandum exhibeant: quò ea, quæ religionis veritatem immediatè concernunt, ab iis faciliùs ſecernere queat, per quę

)( 4 Sophi-

Sophiſtæ iſti imperitis glaucoma offundunt, ut ſub Religionis pluteo & nunc etiam ſub neſcio cujus monſtroſæ ÆQUIVOCATIONIS pallio, quam in Chriſti & veritatis ejus Scholam impudenter invehunt, cuniculos ſuos ad Rei libertatiſque publicæ muros propiùs adigere poſſint: In quo artium militarium genere Genius Jeſuiticus ita excellit, ut illorum phalangi primæ in eis ubique ab expeditionis hujus Ducibus tribuantur, & jure etiam merito debeantur.

Contra has ergo ut cordato Lectori remedium non deeſſet, Hiſtoriæ Jeſuiticæ illa Scripta neceſſariò adjungenda fuerunt, in quibus prædictarum artium fraudes eo, quo diximus, modo deteguntur; Et ſic re ipſa demonſtratur, quàm vana ſit illa opinio, qua plærịq; imbuti ſunt, & quam Jeſuitæ de ſe ſtudioſe fovent, ac ſi nempe Sectæ hujus ſcriptio prorſus invicta & inſtitutio incomparabilis eſſet, &c. Delegimus autem in hoc genere illa præcipue, quæ contra Bellarminianas controverſias à Viris Doctiſſimis edita ſunt: Propterea quòd hic Scriptor ſupra reliquum Scriptorum Jeſuiticorum vulgus caput ſuum tantum extulit,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi:

ut ex ipſius Ducis pugna totius cohortis virtus æſtimari queat. Et hæc quidem hactenus de præſentis Inſtituti rationibus monuiſſe ſufficiat.

Cæterùm optandum eſſet, hujuſmodi aliquam occaſionem nobis dari, qua non nudos librorum titulos Lectori ſuæ publicæque ſalutis avido exhibere cogeremur, ſed potiùs ex hiſipſis Authoribus excerptum nucleum ei fruendum præberemus: Collectis nempe & in unum Corpus redactis eorum Scriptis, quorum in hoc argumenti genere eruditio fideſque & ingenium præ aliis elucent: Quale ſane antehac in Galliis quiddam, editis Rupellæ Sex Tomis, tentatum eſſe novimus. Cùm verò Sectæ Ieſuiticæ malitia penitioreſque artes interea per varias eventuum occaſiones ſe longè liberiùs exeruerint, ut ab Ingeniis multò propiùs conſiderari & certiùs notari potuerint, & ſic etiam Scriptorum præſtantiſſimorum numerus non parum excreverit:

creverit: Opus illud hodiè multis minùs ſufficiens videtur, qui etiam in tanta, quæ nunc ſuccrevit, copia accuratiorem delectum inſtitui poſſe atque etiam debere exiſtimant: Talem nimirùm, qui & Lectoris expectationi ſatisfaceret, ſumtuumq; tædium eidem levaret: Et nos quidem in hunc etiam uſum præſentem Sylvam collegimus, ut hujusmodi delectui copioſiorem materiam ſuggereremus. Cùm verò nec hominis, nec loci unius, adeòque ne paucorum quidem experientia ad tale quiddam ex rei dignitate præſtandum ſufficiat: Lectores noſtros, & inter hos Viros præcipuè doctos obteſtamur, ut ex ſuis primùm inſtructis Bibliothecis, ſuorumque etiam locorum experientiâ alios huic Indici Authores poſtmodùm adjungant, ea videlicet ratione, ut ſic conjunctos meliori ordine diſponant, publicoq; uſui exhibeant: Quò tandem ex hac parata copia præſtantiorum delectus tantò faciliùs inſtitui, & in unum aliquod Corpus redigi poſſit. Ubi tamen caveri velimus, ne cum hisipſis Scriptoribus ij confundantur, qui ex profeſſo vel de Anti-Chriſto, vel de Vitis Actisve Pontificum, ſcripſerunt: Speramus enim tale quiddam paulò pòſt ſeorſim in lucem proditurum. Sed & illa Opera huc referri nequeunt, quæ extra Ieſuitiſmi reſpectum contra Doctrinam Pontificiam in genere magno numero ſunt directa, niſi Indicem hunc in immenſum augeri velimus. Deinde illos etiam, quorum authoritate & judicio Typographi hincinde in deligendis materiis utuntur, ſeriò adhortamur, ut & ipſi heîc Eccleſiæ & veritati operam ſuam præſtent, apud illos nempe, in quorum poteſtate res Typographica ſita eſt, ut tale Opus eis ſedulò commendent, ut in quo non ſolùm operæ eximium precium facturi, ſed etiam de Eccleſia & Republica benè merituri ſint.

Quia verò ad tale aliquid elaborandum copioſiſsimo Inſtrumento & ſumtibus non exiguis opus eſt, talibus nimirùm, qui privati hominis facultatum modum excedunt: ad vos iterum, Ampliſſimi Proceres, recurrere cogimur, Chriſti Domini & Eccleſiæ ejus ipſiusque adeò Reipublicæ nomine ſuppliciter rogantes, ut vos, qui in Rei-

publicæ

publicæ luce verſantes ejuſdem beneficiis fruimini, manus heîc nobis auxiliatrices porrigere velitis. Qua in re ſi fortè nonnullos veſtrûm Religionis & Eccleſiæ reſpectus parum moveret, Eos rogamus, ut in publico paullò diligentiùs circumſpicientes hominum iſtorum molitiones propiùs conſiderent: tum, niſi cœci ſint, facilè deprehendent, nullius hominum plus intereſſe, ut hic Jeſuitici Peregriniſmi fervor quocunque modo retundatur, quàm veſtri Ordinis. Neque enim aliud vobis polliceri poteritis, quàm vel Genti huic tempeſtivè ſerviendum, vel cum eadem primo quoque tempore pro libertate eſſe pugnandum. Cùm verò Jeſuitarum vires magna ex parte in falſa vulgi de eorum pietate, eruditione & ſanctitatis perſuaſione, inque artium Jeſuiticarum ignoratione conſiſtant: iis, qui contra hanc Peſtem rem feliciter gerere volunt, ante omnia efficiendum eſt, ut diſpulſa hac publici erroris nebula hoſtes ex his latibulis exturbentur. Id quod nec meliùs nec rectiùs efficietur, quàm ſi ad hujuſmodi alicujus Operis adornationem ſumtus à Magnatibus liberaliter conferantur: Sic enim oſcitabundum vulgus Socios iſtos intus & in cute meliùs noſſe, & periculum ſuum intelligere incipiet, cautiuſque cum peſte illa diſcet converſari, ut non ampliùs ſe per illas picturatas phaleras decipi patiatur, ut pro auro æs ſplendeſcens amplectantur; Et ſic tandem calamiſtratæ Sophiſtices & ÆQUIVOCATIONIS JESUITICÆ fallaces tendiculæ feliciter eludentur. His, inquam, mediis periculum, quod rebus Europæis à Secta perniciosiſſima imminet, poſt Dei benedictionem omnium facilimè à cervicibus noſtris repellemus. Utinam verò Res inter nos publica in utroque foro ita comparata eſſet, ut ne his quidem, apud multos tam odioſis, mediis opus haberemus: Sed cùm Peſtis hæc nos tam acriter infeſtet, Reique publicæ jugulum in utroque foro tanto furore appetat: Cur Pharmacis, quæ Deus ipſe ſuppeditat, ad ipſius honorem noſtramque ſalutem non uteremur? Interim verò cùm hæc illiuſdem DEI Opt: Max: contra has impuras mundi feces juſtiſſima judicia ſint, quæ publicâ impœnitentiâ adhuc pro-

huc provocare & vim illorum contra nos intendere non deſinimus, Is re vera ardentibus votis nobis ante omnia exorandus eſt,ut fatales pœnas, quas ſuper peccata noſtra decrevit,clementer mitiget,authores cohibeat, ſuoque Spiritu corda illuſtret & regat, ut ſinguli ad propriæ vocationis officia ſeriò reſpiciamus, intra ejuſdem limites nos contineamus,& in eadem per ipſius gratiam ita nos geramus, ut Judici aliquando, qui omnibus & gratioſiſſimus & terribiliſſimus imminet, actionum noſtrarum debitam rationem reddere poſſimus. Quodipſum ſi plæriſque perſuaderi poſſet,Piis & prudentibus omnis ſolicitudinis cauſſa adimeretur, noſq; cum reculis noſtris in ipſo, quod dicitur, portu navigaremus. Verùm hæc boni fortè optare poſſunt,præſtare autem præter DEUM nulla creatura poterit. Interim hæc ſunt, de quibus vos, Ampliſſimi Proceres, in præſentia admonitos volebamus,quos DEI Opt. M. tutelæ ad nominis ejus perennem gloriam Reique publicæ diuturnam ſalutem fideliter committimus.

---

# AD IESVITAS.

VOS, qui ſplendido & fucato novæ SOCIETATIS JESU titulo hucuſque ſuperbitis, & ſub hac larva rudiorum & ſimplicium oculos perſtringitis, etiam atque etiam rogamus,ut in hac Cauſſa,quæ DEI honorem & Reipublicæ in utroque foro ſalutem concernit, æquo deinceps Marte nobiſcum congredi velitis. Quod ita futurum eſt, ſi primùm, miſſis Potentiorum præſidiis, litem hanc ad publicam diſquiſitionem remittetis. Deinde,ſi Veſtrates,quibus Scripta veſtra ingeritis, à Noſtratium lectione non ampliùs arcebitis, nec Cauſſæ legitimè libereque dijudicandæ facultatem & occaſionem, quam omnes divinæ & humanæ Leges eis concedunt, ut hactenus conſueviſtis,inpoſterum illis adimetis. Hæ enim non ſtrenuè pugnanti-

gnantium; ſed malè conſciorum Lucifugarum & hoſtis conſpectum fugitantium artes ſunt: in hac utique palęſtra, in qua bonæ conſcientiæ fiducia & animi erecti candor plus valent, quàm vel Alexandri Magni victorioſus Genius, vel univerſa Rhetorum & Dialecticorum ars & ſcientia. De Noſtratibus vobis ſpondemus, quòd, cujuſcunq; etiam ſtatus & conditionis quis fuerit, à lectione veſtrorum etiam ineptorum Librorum arcebitur nemo. Sic enim Cauſſa in publicum producta, non autem, ut hactenus, ſubdolè ſuppreſſa & ſuffocata, coram ſuo competente Tribunali ſiſtetur, & intra legitimos cancellos continebitur: Sic veritas publicè patefiet, liteque juſtè & citra tumultum diremta nocentes & innocentes in publicum prodentur: in hoc quidem ſeculo ab Eccleſia Chriſti ex DEI verbo dignoſcendi & dijudicandi: in futuro verò à Judice omnium juſtiſſimo vel ſervandi vel condemnandi. Nec eſt, quòd nobis propter editos hos Indices iraſcamini, Nobis, inquam, qui veſtros hactenus Indices Librorum Prohibitorum, & Indices Expurgatorios tam patienter tulimus: Antverpianum videlicet illum, Ducis Albani auſpicio typis Plantinianis primùm Anno *1571.* impreſſum, toto Orbe famoſiſſimum: deinde & alterum illum Purgatorium Indicem, quem ſacerrimum Inquiſitionis Officium in Hiſpania per Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. D. Caſparem Quirogam Cardinalem & Archiepiſcopum Toletanum, tam ſanctæ Officinæ Præſidem, anno M. D. LXXXIV. Madriti edidit, recuſum poſtea Salmuri in Gallia, & alibi: Catalogum item Illuſtrium Religionis Societatis Veſtræ Scriptorum, authore Petro Ribadeneira: Teſtes nempe ad omnem poſteritatis memoriam futuros, quibus artibus, quave fide & candore Veritas hoc tempore reſplendeſcens oppugnata, & pudefacta Hypocriſis contra eandem defenſa ſit. Hiſce valete, ad Rerumpubl. (ſi reſipiſcatis) ſalutem, non perditionem.

SPECU-

# SPECVLVM SIVE THEORIA DOCTRINÆ JESIIITICÆ:

CONTINENS

Scripta eorum, qui aculeum ſophiſticum, quo Secta hæc armata eſt, retuderunt, eorundemque fucandæ & corrumpendæ Doctrinæ, torquendi Verbi Dei, falſificandæque Orthodoxæ Antiquitatis artificium Orbi prodiderunt: Idque vel in genere, dum totum Corpus Doctrinæ Jeſuiticæ oppugnant; vel in ſpecie, dum certorum Locorum Doctrinæ Chriſtianæ puritatem contra eorundem fraudes aſſerunt.

---

*BIBLIA SACRA per totum à primo A uſq; ad Ω.*

*Falſationes Jeſuitarum commiſſas in Patribus perſtrinxerunt Franciſcus Junius in præfatione ſuper Indicem expurgatorium editum Heidelbergæ. Et Joannes Pappus in Præfatione ſuper eundem Indicem editum Argentinæ Anno 1599. in 12.*

*Conſenſus Jeſuitarum & Chriſtianorum in Doctrina Religionis authore Wilhelmo Bidembachio. Tubingæ Anno 1568. & 1598.*

*Fides & Doctrina Jeſuitarum Chemnitij. Tomo primo Rupellenſi.*

*Theologiæ Jeſuitarum præcipua capita ex quadam ipſorum Cenſura Coloniæ Anno 1560. edita: olim per D. Chemnitium; nunc ſtudioſiſſimè recognita per Helvicum Gartſium. Argentinæ Anno 1602. 12.*

*Lucus Succiſus errorum Pontificiorum per centum & quatuordecim controverſos Fidei Chriſtianæ articulos, authore Conrado Wolffgango Platzio. Tubingæ. Anno 1598. in 8.*

*Papa non Papa, hoc eſt, Papæ & Papicolarum de præcipuis Chriſtianæ Doctrinæ partibus, iiſq; inter Euangelicæ Religionis & Romanæ Fidei*

*næ Fidei homines controverſis, Lutherana Confeßio, ex Jure Canonico ſive Papali ac eruditioribus nonnullis authoribus Pontificijs collecta per Andream Oſiandrum. Tubingæ Anno 1599. in 8.*

*Opera Guilielmi Witackeri contra Bellarminum & Hajum Jeſuitas in hoc genere præſtantißima. Tomo ſecundo Ruppellenſi.*

*Contradictiones Doctorum nunc Romanæ Eccleſiæ, Indice & teſte Roberto Bellarmino, cum Præfatione D. Joannis Pappi. Argentinæ Anno 1597. in 4.*

*Sadeëlis contra Turrianum & Arturum Jeſuitas. Morgijs apud Joan. le Preux. Anno 1584. in 8.*

*Franciſci Junij Animadverſiones ad Controverſiam primam Chriſtianæ Fidei de verbo* DEI *ſcripto & non ſcripto adverſus Rob. Bellarminum. Lugdu. Bat. Anno 1600. in 8.*

*Fortunati Crellij de re Euchariſtica cum Gregorio de Valentia diſceptatio. Neuſtadij Anno 1586. 4.*

*Fortunati Crellij de Euchariſtia libri duo oppoſiti totidem libris Gregorij de Valentia. Heidelbergæ Anno 1590. 4.*

*Eiuſdem Crellij diſputatio adverſus Petri Scargæ librum de Sacramento Miſſæ.*

*Jacobi Kimedonci de verbo* DEI *ſcripto Libri octo: Eiuſdem de verbo non ſcripto libri duo: ubi multa ſolidè contra Bellarminum & alios Jeſuitas diſputantur. Heidelb: Anno 1595. 8.*

*Sibrandi Lubberti de Principijs dogmatum Chriſtianorum. apud Ægidium Radæum, Ordinarium Friſiæ Typographum Anno 1594. 8.*

*Sibrandi Lubberti de Eccleſia lib. VI. collati cum diſputationibus Roberti Bellarmini. Franeckeræ apud Ægidium Radæum Anno 1607. 8.*

*Sibrandi Lubberti de Principijs dogmatum Replicatio. Frankeræ apud Ioannem in 8.*

*Daniel Toſſanus adverſus Arturum Jeſuitam, de vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ, Heidelbergæ 1587. 4.*

*Oratio de Jeſuitarum Strophis circa Canonem Scripturarum, & de conſenſu antiquitatis cum Eccleſijs orthodoxis, habita à Dauide Pareo. Apud Vögelin. in 8. 1603.*

*D. Fuchſij Tuba Academica, qua Patrum antiquorum defenſionem autor liberè audacterq; ſuſcepit, & ad ſanctam, ſobriam, modeſtamq;*

ſtamq; in cauſſa Fidei concertationem Pontificios peramanter invitavit. Londini in officina Norton. Anno 1604.

Refutatio Catechiſmorum Jeſuiticorum Chriſtophori Pezelij 2. Tom: apud Harniſianos 1599. 8.

Aurum vitæ Theriacale contra Phreniten Jacobi Gretſeri Jeſuitæ. Francofurti apud Kopff.

Epiſtolæ Jeſuiticæ, & ad eas reſponſiones itidem per Epiſtolas datæ numero 12. de quibuſdam Articulis controverſis, Ambergæ in 8. Anno 1604.

Danielis Chamieri Epiſtolæ Jeſuiticæ. Genevæ apud Petrum de la Roviere Anno 1599. 8.

Tractatus tripartitus Theologicus, de quibuſdam Religionis Chriſtianæ Capitibus ad confutationem Jacobi Gretſeri, in patrocinium veritatis divinæ, & vindicationem D. Ægidij Hunnij, auctore D. Matthia Hohe. Witteberga Berger. in 4. Anno 1604.

Bellum Jeſuiticum Andreæ Chrzaſtovij Lithvani, Baſileæ apud Conradum Waldkirchium. 1594. 4.

Labyrinthus primus Papiſticus reſpondente Matthia Höe Auſtriaco pro gradu Doctoris obtinendo. apud Paulum Helvich Anno 1604. 4.

D. Philippi Marbachij diſputatio de veneratione Sanctorum, & eorum reliquijs, Argentorati apud Bertramum. Anno 1605. 4.

Ioannis Regij diſcuſſiones in Jeſuitas. Francofurti ex Muſeo Ioannis Spieſſij. 1601. 4.

Examen Apologetici, quem Caſpar Schoppius Apoſtata pro libris de Indulgentijs Roberti Bellarmini &c. oppoſuit, autore Friderico Balduino SS. Theologiæ D. Wittebergæ ſumtibus Ioannis Roſen in 4. Anno 1605.

Ad Stanislai Reſcij Miniſtromachiam reſponſio Guilhelmi Philalethæ Oxonienſis. 8.

Simonis Steinij Lomacenſis Jacobus Gretſerus Loiolanæ Societatis Theologus triumphatus, Ambergæ apud Schönfeld in 8. Anno 1605.

Diſputationes Theologicæ duæ, de Purgatorio & Cælibatu Sacerdotum, Philippi Marbachij SS. Theologiæ D. Argentorati apud Bertramum in 4. Anno 1606.

*Diſputationes Theologicæ Enchiridio Franciſci Coſteri Jeſuitæ oppoſitæ &c. ſub præſidio Philippi Marbachij Theologiæ D. &c. Argentor. apud Bertram. Anno 1606. 4.*

*Fides JESV & Jeſuitarum Donathi Gotviſi. Gröslingæ Anno 1573.*

*Philoſophiæ vel potiùs Sophiſticæ Euchariſticæ Rober. Bellarmini Jeſuitæ pars I. & II. de præſentia Corporis Chriſti, & modo præſentiæ, refutata à Ioanne Angelo Politiano. Ambergæ Schönfeld. Anno 1606. 4.*

*Ioannis Fabricij Montani pro Chriſti Eccleſia adverſus improbas Fontidonij & Cardilli Hiſpanorum Calumnias in 8. Thomas Curteus Anno 1565.*

*Vindex Veritatis, Adverſus I. Lipſium libri duo. Prior inſanam eius Religionem Politicam, fatuamq; de Fato & fraude doctrinam: poſterior & Idoli Aſpricollis, & Deæ ligneæ miracula convellit, autore Georgio Thomſono Scoto Britanno. Londini ex officina Nortoniana Anno 1606. 8.*

*Diſputatio de Sacra ſcriptura contra Robertum Bellarminum & Thomam Stapletonum Jeſuitas Guilhelmi Wittackeri. Herbornæ 1590.*

*Guilhelmi Wittackeri Angli olim Theologiæ in Academia Cantabrigienſi Profeſſoris prælectiones in Controverſiam de Romano Pontifice adverſus Pontificios, imprimis Robertum Bellarminum. Hanoviæ apud Antonium 8.*

*Eiuſdem Wittakeri diſputatio de Eccleſia contra Robertum Bellarminum &c. Herbornæ 8.*

*Eiuſdem Wittakeri prælectiones, quibus tractatur Controverſia de Concilijs contra Pontificios, inprimis Robertum Bellarminum Jeſuitam. Cantabrigiæ 1600. 8.*

*Eiuſdem Wittakeri Tractatus de Peccato Originis adverſus tres primos libros Thomæ Stapletoni de univerſa Iuſtificationis Doctrina hodiè controverſa. Cantabrigiæ 1600. 8.*

*Eiuſdem Wittakeri adverſus libros Reſolutionum Thomæ Stapletoni. Londini. folio. 1597.*

*Theſes de abominatione Miſſæ Pontificiæ propoſitæ à Burchardo Harbart D. Lipſiæ apud Lamberg. Anno 1606. 4.*

Tractatus

*Tractatio Theologica de Conjugio, in qua* ἑτεροδοξία *Roberti Bellarmini & Franciſci Coſteri refellitur, per* Bartholdum Krakevvitz *Nobilem* Rugianum. *apud* Berger. *Anno* 1606. 12.

*Diſputationes X. de Verbo Dei ſcripto & traditionibus non ſcriptis propoſitæ Wittebergæ à* Leonharto Huttero *SS. Theologiæ D. Anno* 1606. 4.

De Juſtificatione Hominis coram DEO *libri duo oppoſiti Sophiſmatis* Roberti Bellarmini *Ieſuitæ per* Ioannem Piſcatorem. *Herbornæ apud* Chriſtophorum Corvinum *Anno* 1595. 8.

*Apodixis* Theologica *de Sanctis defunctis honorandis, non invocandis, à* M. Ioanne Schrödero *propoſita. Svvinfurti apud* Caſpar Kemlin. *Anno* 1606. 8.

*Apologiæ Catholicæ ſecunda pars, Iudicem* Eccleſiæ *demonſtrans, autore* Thoma Mortono *S. Theol. Baccalaureo Anglo. Londini apud* Ioan. Northon. *Anno* 1606. 8.

*De myſtico & incruento* Eccleſiæ *Sacrificio, adverſus abominandam* Pontificiæ *Miſſæ ſuperſtitionem, ex orthodoxo veteris* Eccleſiæ *conſenſu. Item* Pontificia *Miſſa ex ipſo Canone Miſſæ deſtructa. Autore* Euſebio Altkirchero. *Neuſtadij.* 1591. 4.

Examen *libri primi & ſecundi* Controverſiæ *quintæ generalis à* Roberto Bellarmino *pertractatæ, de Sacramento extremæ unctionis, confectum per* Bartholdum Krakevvitz *Nobilem* Rugianum. *Wittebergæ apud* Seelfiſch. *Anno* 1606. 8.

Matthæi Sutlivij *de Miſſa Papiſtica adverſus* Robertum Bellarminum, *& univerſum* Jebuſæorum *&* Cananæorum *ſodalitium.* 4. *Londini* 1592.

Matthæi Sutlivij *de* Romano Pontifice, *eiuſq; injuſtiſsima in Eccleſia* Dominatione, *adverſus* Bellarminum, *& univerſum* Ieſuitarum *ſodalitium, libri quinq;.* Hanoviæ 1605. 8.

Eiuſdem Sutlivij *de Concilijs & eorum authoritate, adverſus* Bellarminum, *& bellos eius* Sodales, *libri duo.* Londini 1600. 4.

Eiuſdem Sutlivij *de Monachis eorumq; inſtitutis & moribus adverſus* Bellarminum *&c. diſputatio.* Londini. *Anno* 1600. 4.

Eiuſdem Sutlivij *adverſus* Bellarminum *de* Purgatorio *diſputationum liber unus.* Hanoviæ 1603. 8.

Eiuſdem Sutlivij *de vera* Chriſti Eccleſia *adverſus* Bellarminum *alioſq;* Sectæ *Ieſuiticæ* Sodales *liber unus.* Londini 1600.

*Eiuſdem Sutlivij de Catholica, orthodoxa & vera Chriſti Eccleſia libri duo contra Bellarmini &c. notas. Londini. Anno 1602.* 4.

*Joannis Reinoldi Angli de Romanæ Eccleſiæ Idololatria operis inchoati libri duo, in quibus cùm alia multa variorum Papiſmi Patronorum errata pateſiunt: tùm inprimis Bellarmini Gregorijq́; de Valentia calumniæ in Calvinum ac cæteros Proteſtantes argutiæ, pro Papiſtico idolorum cultu diſcutiuntur. Genevæ Anno 1598.* 8.

*Scripta Ioannis Ivelli Epiſcopi Sarisburienſis adverſus Hardingum, Sanderum, Alanum Copum, Hieronymum Oſorium, Pontacum Burglegalonſem, ex Anglico in La inum verſa, & duobus Tomis edita. apud heredes Comelinianos. 1600. fol.*

*Locorum communium S. Theologiæ inſtitutio per Epitomen contra Sophiſmata Bellarmini, Autore Luca Trelcatio, cum indice Errorum Eccleſiæ Romanæ. Londini apud Billium in 16.*

*Examen Præfationis, quam Bavarici Collocutores Protocollo Monachij recuſo nunc auctiorem præfigendam eſſe putarunt: Authore Ægidio Hunnio. Wittebergæ Anno 1602.* 4.

*Articulus de Eccleſia & huius Capite Chriſto, Itemq́; de Eccleſia Romana & hujus Capite Pontifice Romano ſic pertractatus, ut tam Veterum, quàm novorum Patronorum Sedis Pontificiæ Sophiſmata & argumenta confundatur. Authore Ægidio Hunnio. 1592.* 8.

*Labyrinthus Papiſticus ſeu diſputatio de Papatu ſemetipſum contradictionibus implicante, Authore & Præſide Ægidio Hunnio 1602.* 4.

*Examen rationum, quibus Rob: Bellarminus Pontificatum Romanum adſtruere nititur, Authore Philippo Marnixio Sanct Aldegondano. Anno 1602.* 8.

*Enchiridion controverſiarum, ſeu Index errorum Eccleſiæ Romanæ, unà cum antidoto ex 4. Tomis Diſputationum Rob: Bellarmini excerptus per Conradum Vorſtium. Steinfurti Anno 1604.* 8.

*Diſceptatio Epiſtolaris Ioannis Magiri Ieſuitæ, & Davidis Parei Chriſtiani Theologi de authoritate divina S. Scripturarum, deq́; abſoluta Eccleſiæ infallibilitate. Vœgelin. Anno 1604.* 8.

*D. Martini Chemnicij modeſta aſſertio veritatis de Verbo Dei contra Bellarminum Ieſuitam Cardinalem, accommodata ſtudio Laurentij Lælij. Onolsbachi apud Paulum Bohem. Anno 1607.* 8.

*Tropha-*

*Trophæum Auguſtinianum de ſacra Scriptura &c. contra omnes noſtri temporis Doctores Pontificios, autore Thoma Vegelino Auguſtano. Argentorati apud Andream Rierſchium Anno 1607. 4.*

*Exegeſis Diſputationis de Sacrarum ſcripturarum divina & Canonica authoritate adverſus Ieſuitarum Strophas & imposturas. Authore Davide Pareo. Vögelin Anno 1604.*

*Laurentij Cælij Eccleſiæ Onoldsbacenſis Paſtoris modeſta aſſertio de Verbo Dei in Scripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſo contra Robertum Bellarminum, Onoldsbachij apud Paulum Bohemum. 8.*

*I. Philippi Parei, Davidis Filij, Caſtigationes in brevem & maledicam admonitionem Ioannis Magiri Ieſuitæ, ex officina Palthenianа, Anno 1606. Francofurti ad Mœnum.*

*Academiæ Nemauſenſis brevis & modeſta reſponſio ad Profeſſorum Turnoniorum Societatis, ut aiunt, Ieſu aſſertiones, quas Theologicas & Philoſophicas appellant. Tomo 1. Rupellen. pag. 558.*

*Academiæ Nemauſenſis expoſtulatio de Ieſuitarum Turnoniorum bis cocta, ut ipſi disertè aiunt, crambe. Tomo. 1. Rupellen. pag. 710.*

*Colloquium Ieſuiticum toti Orbi Chriſtiano ad rectè cognoſcendam hactenus non ſatis perſpectam Ieſuitarum Religionem utiliſsimum, habitum à Paulo Florenio cum Chriſtiano Franken Philoſophiæ Profeſſore in Cæſareo Ieſuitarum Gymnaſio Viennæ Anno 1578. 20. Ianuarij. Tomo primo Rupellenſi pag. 860.*

*Edmundi Campiani Ieſuitæ rationes decem, quibus fretus certamen Anglicanæ Eccleſiæ Miniſtris in cauſſa Fidei obtulit: & ad eas Guilielmi Wittakeri reſponſio. Tomo ſecundo Rupellenſi. pag. 1.*

*Reſponſionis huius ad decem rationes Campiani Defenſio contra confutationem Ioannis Duræi Scoti Presbyteri Ieſuitæ, authore Guilielmo Wittakero. Tomo ſecundo Ruppellen.*

*Phariſaiſmus vetus & novus; ſive de fermento Phariſæorum & Ieſuitarum Laurentij Humfredi Concio in feſto Cinerum Anno 1582. habita. Tomo ſecundo Ruppellenſi.*

*Puritanopapiſmi, ſeu Doctrinæ Ieſuiticæ aliquot rationibus ab Edm. Campiano comprehenſæ & à Ioanne Duræo defenſæ Confutatio Laurentij Humfredi. Tomo tertio Ruppellen. pag. 161.*

*Diſputatio Ioannis Foxij contra Ieſuitas, & eorum argumenta,*

*quibus*

quibus inhærentem Juſticiam ex Ariſtotele confirmant. Tomo tertio Rupp. pag. 987.

De Mediatoris invocatione Theſes Theologicæ, oppoſitæ Ieſuitarum de Mariæ Virginis, Angelorum & hominum mortuorum interceßione erroribus à Ioanne Jacobo Grynæo. Tomo tertio Ruppell. pag. 1003.

Eiuſdem Grynæi diſputatio de Juſtificationis noſtræ cauſsis, Ieſuitarum erroribus oppoſita. Tomo tertio Ruppel. pag. 1006.

Theſes de modo adoptionis, ſeu de Fide Electorum Dei, à doctiſſimo quodam Theologo conſcriptæ, & Ieſuiticis præſtigijs oppoſitæ. Tomo tertio Ruppellenſi pag. 1013.

Theſes de legitima veri cultus DEI ratione, Sophiſticis Ieſuitarum quæſtionibus & reſponſis oppoſitæ. Tomo tertio Ruppellen. pag. 1022.

Davidis Chytræi reſponſio ad Antonij Poſſevini Ieſuitæ & Mylonij cuiuſdam criminationes. Tomo quinto Rupell. p. 1.

Sex Theſes de Sacra ſcriptura & Eccleſia, publicis in Academia Oxonienſi diſputationibus propoſitæ & explicatæ, & defenſæ à Ioanne Raynoldo. Tomo quinto Rupell. pag. 93.

De Juſtificatione hominis coram DEO brevis & ſimplex Demonſtratio ex Scriptis Sanctorum Prophetarum & Apoſtolorum excerpta, & Ieſuiticæ Sectæ cavillis oppoſita. A. G. H. authore. Tomo quinto Rupell. p. 206.

Ioannis Serrani quartus AntiIeſuita ſive pro verbo ſcripto & verè Catholica Eccleſia, adverſus Ioannis Hayi monachi Ieſuitæ commenta & convitia Reſponſionis pars prior. Tomo quarto Rup. p. 1.

Gratianus AntiIeſuita, id eſt, Canonum ex ſcriptis Veterum Theologorum à Gratiano in illud Volumen, quod Decretum appellatur, collectorum, & Doctrinæ Ieſuiticæ, ex varijs iſtius nuperæ Sectæ Matæologorum ſcriptis excerptæ, Collatio, cuiuſdam ſtudioſi veritatis. Tomo quarto Ruppellen. p. 403.

Gratiani AntiIeſuitæ pars altera, id eſt, Canonum ex veterum Theologorum ſcriptis à Gratiano in illud Volumen, quod Decretum appellatur, congeſtorum, & Doctrinæ Ieſuiticæ, ex varijs iſtius nuperæ ſectæ Matæologorum ſcriptis excerptæ, Collatio, in qua præcipuè de Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento, & de Carnis Chriſti manducatione agitur. Tomo ſexto Ruppellen.

Defenſio

*Defenſionis vera, Orthodoxæ, veterisq; in Eccleſia ſententiæ de Sacramento Corporis & Sanguinis D. N. Ieſu Chriſti, veraq; in Cœna eius præſentia, contra novum & commentitium Tranſſubſtantiationis dogma, aliosq; errores ex illo natos, libri tres ad Petrum Scargam Ieſuitam, authore Andrea Volano. Tomo quarto Ruppel. p. 745.*

*Diſputatio de Lectione Veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum contra Ieſuitas, qui Patres dignitate cum conſenſu Bibliorum exæquare conantur, inſtituta publicè duabus vicibus in Gymnaſio Dantiſcano à M. Andrea Frank tum temporis Rectore. Tomo quinto Ruppellenſi pag. 251.*

*Ad Jacobi Ledeſimæ Monachi novæ Societatis, quam non ſine blaſphemia Societatem Jeſu nominant, libellum: quo probare nititur, divinas ſcripturas quavis paßim lingua non eſſe legendas, & Sacrificium Miſſæ in Eccleſia Chriſti Hebræa tantùm, Græca aut Latina lingua celebrandum:* TH. Q. T. *perſpicua & brevis Reſponſio. Tomo quinto Rupell. pag. 259.*

*Theſium de Eccleſia, in Academia Mußipontana publicè ab Illuſtrißimo Principe D. Carolo à Lotharingia Cardinale Vademontano, ſub Præſide & Moderatore Luca Pinello Monacho novæ Societatis, quam inſigni cum blaſphemia Societatem Ieſu appellant, defenſarum,* TH. Q. T. *perſpicua & brevis Analyſis ac refutatio. Tomo quinto Ruppellenſi pag. 451.*

*Theſium de vera & falſa differentia Veteris & Novæ Legis, in Academia Ingolſtadiana à Chriſtophoro Sella Noribergenſi ſub præſide & conſarcinatore Gregorio de Valentia Monacho novæ Societatis, quam inſigni cum impudentia & blaſphemia Societatem Ieſu appellant, defenſarum,* T H. Q. T. *perſpicua & brevis Analyſis ac Refutatio. Tomo quinto Ruppell. p. 775.*

*Ioannis Serrani Quarti AntiIeſuitæ, ſive de vera veræ Eccleſiæ autoritate, adverſus Ioannis Hayi monachi Ieſuitæ commenta & convitia, Reſponſionis pars altera. Tomo Sexto Ruppellen.*

*Ad Roberti Bellarmini diſputationes Theologicas de rebus in Religione controverſis Lamberti Danæi Reſponſio. Genevæ. Anno 1596. 8.*

*Matthæus Dreſſerus de Tranſlatione Imperij Romani in Occidentem, adverſus Rob: Bellarmi: 8. Lipſiæ.*

B Anti

*AntiTannerus, hoc eſt, Scriptum Apologeticum contra turpiſſima mendacia Adami Tanneri Societatis Antiieſuiticæ monachi &c. elaboratum & publicatum opera Ægidij Hunnij & Iacobi Heilbrunneri.* Francofurti *Anno 1602.* 8.

*Jacobi Niemojevvski contra Ieſuitas de Eccleſia, & alia eiuſdem opuſcula partim Poſnaniæ, partim Grodzicij edita.*

*Aſſertiones de Sancta Cruce, deq; uſu ac veneratione imaginum, erroribus Franciſci Coſteri Ieſuitæ oppoſitæ & diſputatæ Argentinæ, Authore & præſide Philippo Marbachio D. Anno 1603.* 4.

*Apologia Martini Crovitij contra Ieſuitas pro vera & orthodoxa Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, Germanicè impreſſa Vilnæ apud Iacobum Markovvitz Anno 1602.* 4.

*Colloquium de Norma doctrinæ, & Controverſiarum Religionis Iudice, Ratisbonæ habitum inter Theologos Evangelicos & Ieſuitas Anno 1601. Lavingæ Anno 1602.* 4.

*Gretſerus Triumphatus, hoc eſt, evidens & invicta demonſtratio, Ieſuitas in Colloquio Ratisbonenſi Anno 1601. habito de Norma & Iudice Controverſiarum Fidei, victos & gladio Spiritus S. proſtratos eſſe. opera & ſtudio Andreæ Libavij M. D. Francofurti Anno 1604.* 4.

*Analyſis Dialectica Colloquij Ratisbonenſis Anno 1601. de Norma & Iudice omnium Controverſiarum Fidei Chriſtianæ, authore Baſilio de Varna. Francofurti 1602.* 4.

*Cenſura de ſterili & egelida Cenſura, quam Ieſuitæ Moguntini contra Ienenſem diſputationem de Methodo Theologicæ demonſtrationis nuper protulerunt, contra Ieſuiticam diſputandi formam ſpuriam & larvatam, plenam &c. authore M. Ioanne Mülmanno. Witebergæ Anno 1605.* 4.

*De Controverſijs Religionis hoc ſeculo motis adverſaria quædam ſcripta, in quibus utriuſq; partis diſſidentis argumenta ad Scripturæ divinæ Canonem explorantur, & Ieſuitis potiſſimùm reſpondetur. Conſcripta & edita à Petro Berexaſio Varadinenſis Eccleſiæ in Ungaria Miniſtro, & à Matthia Thoraconymo Patacinenſis Gymnaſij Rectore. Baſileæ Anno 1587.*

*Hermanni Lignaridi Antidotus contra Scandalum Apoſtaſiæ datum ab ijs, qui ab Eccleſijs Evangelicis ad Papatum deficiunt, unà cum*

*cum demonſtratione errorum Papatus. Bernæ Helvetiorum apud Ioannem le Preux in 8.*

*Roberti Bellarmini Societatis Ieſu Theologi Philoſophia Eucharistica de potentia & voluntate DEI ex tertio eius de Euchariſtia libro expoſita à Ioanne Angelo Politiano. Ambergæ. 1604. 4.*

*Epiſtola Pauli Albutij ad Ieſuitas, in qua de rebus graviſſimis & lectu digniſſimis agitur. Baſileæ Anno 1581. 8.*

*Ad repetita Fr: Turriani Monachi Ieſuitæ Sophiſmata de Eccleſia & Ordinationibus miniſtrorum reſponſio Antonij Sadeëlis. Morgijs apud Ioannem Le preux Anno 1580. 8.*

*Locus de verbo DEI ſcripto adverſus humanas traditiones Theologicè & Scholaſticè tractatus ab Antonio Sadeël. 8. Iohan Le Preux. Anno 1584.*

*De vera peccatorum remiſſione adverſus humanas ſatisfactiones eiuſdem Antonij Sadeëlis. Genevæ Ioan. Le Preux Anno 1588.*

*Evangelium Romanum, in quo contra Ieſuitas præclarè diſputatur de remiſſione peccatorum adverſus Paparum Indulgentias, autore I. L. Genevæ Anno 1600. 8.*

*Iſaaci Cheironi ad Porſani Ieſuitæ admonitiones Catholica reſponſio, continens brevem collationem inter Orthodoxos & Pontificios. Genevæ Anno 1601. 8.*

*AntiChriſti demonſtratio contra fabulas Pontificias & ineptam Rob: Bellarmini de Antichriſto diſputationem: authore Roberto Abbatto Oxonienſi olim Profeſſore. Londini Anno 1603. 4.*

*De unico Chriſti Sacerdotio & Sacrificio adverſus commentum Miſſæ Sacrificium, Antonij Sadeëlis. Ioannes Le Preux Anno 1588. 8.*

*Poſnanienſium aſſertionum de Chriſti in Terris Eccleſia Analyſis & Refutatio per Antonium Sadeëlem. Morgijs apud Ioan: Le Preux. 1584. 4.*

*Speculum AntiChriſti, in quo ipſius priora ſimul & poſteriora tanquam in clara luce ita contueri poſſunt facilè perſpicaces Ieſuitæ cum ſuis diſcipulis, ut de eo conſultare ulteriùs neceſſe non habeant, Confectum & politum in Gallijs à D. Tileno. Typis Roſtochienſibus Anno 1605. 8.*

*Honorarium Ieſuiticum: hoc eſt, Malleus Eſauiticæ profanitatis, Pelagianæ levitatis, maledicæ garrulitatis &c. excuſus, & ſtrenæ loco Suitis tranſmiſſus à M. Erneſto Zephyrio. apud Zachariam Schurer.*

Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti, quo Pontiſiciorum errores à Franc: Coſtero Ieſuita in Enchiridio Controverſiarum propoſiti confutantur, authore Franciſco Gomaro Profeſſore Academiæ Lugdunenſ: Hanoviæ Anno 1603. 8.

Speculum Eſauiticum M. Erneſti Zephyrij. Witteberga apud Schurer. Anno 1607.

Commonitorium: ſive amica ad amicum admonitio de Roberti Bellarmini Scriptis ac libris. apud Sebaſtianum Müller Anno 1607. 4.

De Sacra Euchariſtia in quatuor libros diſtinctum Opus, authore Philippo Mornæo Nobili Gallo &c. Hanoviæ Anno 1605. 8.

Catholicus Reformatus Guilhelmi Perkinſi Angli. Hanoviæ Anno 1601. 8.

Ieſuitiſmus novus, hoc eſt, paradoxa & abſurda Ieſuitarum in ſingulis Chriſtianæ Fidei articulis ad veritatem Scripturæ cœleſtis examinata à Chriſtophoro Pelargo D. Francofurti ad Oderam apud Ioan. Thim. Anno 1607. 4.

Apologia pro Eccleſijs Orthodoxis oppoſita Theſibus Ieſuitarum Monaſterij nuper excuſis, hoc titulo, Credo Caluiniſequarum &c. ad diſputandum propoſita à Conrado Vorſtio SS. Theol. D. in Schola Steinfurtenſi. Steinfurti apud Theophil. Cæſar. Anno 1607. 8. item Hanoviæ.

Triumphus Papalis ſuper ſucceſſionem ementitam & conſenſum diſſentientium Pontificiorum & Ieſuitarum, quo liquidè demonſtratur, qua ratione Papæ, Cardinales, Epiſcopi & Ieſuitæ, cum D. Paulo, reliquiſq; Apoſtolis & SS. Patribus conſentiant & concordent. Adjuncta hiſtoria Ieſuitici Ordinis plenaria &c. Conſcripta à M. Elia Haſenmüllero cum præfatione Polycarpi Lyſeri. Francofurti apud Spiſſium Anno 1605. 8.

AntiBellarminus. Refutatio eorum, quæ adverſus Chriſtianam Fidem, pro tuenda Pontificia ſua Religione, Tomis diſputavit quatuor Robertus Bellarminus Ieſuita, à Samuele Hubero SS. Theol. D. Goſlariæ apud Ioannem Vogtium.

Diſputationes AntiGeſauvviticæ de Verbo Dei Scripto M. Ioannis Mülmanni, Wittebergæ apud Clement. Berger. Anno 1607. 4.

De Concilijs Libri Duo poſteriores Elenctici, in quibus totidem libri

